

1
6
469








VINCENTII ALSARII LIGVRIS

DE INVIDIA, ET FASCINO Veterum Libellus.

AD ROBERTVM TITIVM Burgenſem Virum Eruditiſsimum.

Cùm indice rerum omnium memorabilium, & Autorum qui in hoc Libello citantur Elencho, ordine alphabetico Digeſtis.



LVCAE,

Apud Vincentium Buſdrachium. 1595.

Cum licentia Superiorum.

ROBERTO TITIO BVRGENSI

VIRO DOCTISSIMO

VINCENTIVS ALSARIVS

S.

D*IEBVS genialibus proximè elapsis cum à sæuioribus studiis vacarem, Doctissime Roberte libellum hunc de Inuidia, & Fascino veterum inscriptum, animi potius gratia, quàm ne minimùm quidem gloriæ ex eo mihi euenturum sperans, confeci, quem cùm nonnullis ex amicis meis legendum ostendissem, illicò me rogarunt, vt eùm quam primùm in lucem ederem. Ipse ne, & ergà amicos, & de me etiam bene meri*

tos parum gratus haberer, illis morem gesſi, ac typis deſcribendum curaui. Tibi autem eum dicare volui, tùm, quia noui te hominem ab hoc inuidiæ morbo penitùs alienum, & ſyncera liberaliq; doctrina præ cæteris ornatum, tùm etiam vt apud animum tuum aliquod meæ in te obſeruãtiæ ſignum teſtatum relinquerem. Nec illud ad hoc me mouit, quod te huiuſce antiquitatis ne minima quidem ex parte ignarum exiſtimem, & propterea putare me aliquid noui tibi allaturum, eſſet hoc enim, tanquam, iuxtà Prouerbium, ſus Mineruam, cum ſis Lectionum omnium helluo, vt tua ipſius opera teſtantur, verùm de hoc alias. Aequo igitur animo atq; hylari fronte meum hoc munuſculum ſuſcipe, pluraq; in poſterùm à me (ſi vita ſuppetet, vix enim x, & ix annum attingo) ac fortaſſe vberiora expecta. Vale.

VIN-

VINCENTII ALSARII LIGURIS
DE INVIDIA ET FASCINO VET. LIBELLVS.

LEGENTI mihi librum Aristotelis de Arte dicendi secundum occurrit statim locus ille, vbi de Inuidia multa in medium Philosophus adducit. Refert enim Inuidiam locum habere sæpius in fortunæ, quam inanimi bonis. Sed contra vsu experimur quotidie virtute pręstantes viros accerrima laborare inuidia, & quamuis soleamus iis inuidere quos indignitate fortunæ, ad summas opes, summamque rerum opulentiam peruenisse videmus, attamen non in his modò constat inuidia, sed in virtute præditos maximè etiam declinat: Vnde Plutarchus *Inuidetur* inquit *iis potissimum quorum virtus crescere videtur. Itaque etiam Themistocles dicebat, se adolescentem, nullum splendidum fecisse facinus, nondum enim sibi fuisse inuisum. Sicut enim cantharides maximè*

adul-

adultis iam frugibus, & rosis florentib. incumbunt, ita inuidia maximè adoritur bonos, & ad virtutem proficiscentes, atq; gloriam. Hinc etiam Horatius

Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Huius generis exemplum suppeditabit de Aristide Plutarchus, inquit enim *Aristides cum omnis virtutis, tùm maximè æquitatis, & iustitiæ apud populum periculum fecit, quæ ad summam semper vtilitatem ac fructum referuntur ex quibus Aristides quamquam vir inops, & plebeius, regium tamen in primis, ac diuinissimum Iusti scilicet cognomen adeptus est.* Nihil igitur in hoc homine admirabilius, nihil præstantius, quàm iustitia, paupertatisq; tollerantia: & tamen cùm pauper esset Iustiq; cognomen factis, & vita consequutus esset, non odio potentiæ, aut diuitiarum, exilio illo decennali Athieniensibus vsitato, qđ δι' ὀστρακων fiebat, multatus est, Patet ergo hoc exemplo inuidiam in res omnes etiam tenuissimæ operæ declinare, cum videlicet quispiam, vel animi, vel ingenij, vel corporis bonis alium præstare ægre fert, & quodamodo iniquo animo videt, quibus ipse careat, ex quo etiam inuidentiam dictam existimauit Cicero. Quibus omnibus manifesto (puto) liquet non esse id

quod

quod loco de Arte Dicendi citato ſcribit Ariſtoteles, perpetuò, neque vſquequaq; verum. Interim aũt illud Pindari non eſt omittendum: ἅπτεται δ᾽ ἐσλῶν ἀεί, χειρόνεσσι δ᾽ οὐκ ἐρίζει. & Pyth. ειδ. ια. ἔχει τε γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον: ὁ δὲ χαμηλὰ πνέων, ἄφαντον βρέμει. ideſt (Opes enim, & res valdè ſecundæ, non paruam inuidiam habent: qui autem humilia ſpirat, & humi iacet obſcurum fremit.) Excitari autem plurimum ſolet inuidia, cum immoderatè quempiam vtentem videmus his bonis quibus pollet: eaque multum eſſe in ore hominum. Ita enim apud pleroſque comparatum eſt, vt alienis radiis putent ſuam lucem præſtringi. Inter æquales autem potiſſimum verſatur. non enim externis externi inuident, ſed aut qui eiſdem ſtudiis tenentur, aut qui eandem artem profitentur, de quibus Heſiodus pulcherrimè meminit, cum Figulum Figulo, Architectum Architecto, Poetam Poetæ inuidioſum cecinit. Ibi enim maximè diſparilitas eminet, ibi ſimilia conferuntur. Minimè verò ſilentio prætereundum, Inuidiam, in eos, qui multum cæteris antecellunt, & præſtant, eſſe imbecillam, vnde Horatius

-- *inuidiaq; maior*
Vrbes relinquam.

Hor: Inuidiã placare paro uirtute relicta.

Et

Et alibi,

-- *iam dente minus mordeor inuido.*

Intelligebat enim eò perueniſſe vt ſibi nemo poſſet inuidere. Sic, & Saluſtius, *Gloria inuidiam viciſti.* Id etiam commodum aperit Plutarchus lib. περὶ φθόνου καὶ μίσους, his verbis, Αἱ δὲ τῶν ἐντυχημάτων περοχαὶ, καὶ λαμπρότητες πολλάκις τὸν φθόνον κατασβεννοῦσιν. οὐδὲ γὰρ εἰκὸς Ἀλεξάνδρῳ τινὰ φθονεῖν, οὐδὲ Κύρῳ κρατήσασι, καὶ γενομένοις κυρίοις ἁπάντων: ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ ἥλιος ὧν ἂν ὑπὲρ κορυφῆς γένηται καταχεόμενος τὸ φῶς ἢ παντάπασι τὴν σκιὰν ἀνεῖλεν, ἢ μικρὰν ἐποίησεν, οὕτω πολὺ τῶν ευτοχημάτων ὕψος λαυόντων, καὶ γενομένων κατὰ κεφαλὴν τοῦ φθόνου, συστέλλεται, καὶ ἀναχωρεῖ καταλαμπόμενος.

Latinè dices. *Rerum ſecundarum præſtantiæ, & exſuperantiæ, & fulgores ſæpè inuidiam extinguūt non enim eſt probabile quemquam Alexandro inuidere neq; Cyro, rerum potitis, & omnium nationum dominationem conſecutis. Sed quemadmodum ſol, quorum ſuperuerticem verſatur, lumen ſuum iaculans, aut prorſus ei vmbram adimit, aut paruam efficit: ità poſtquam res ſecundæ ad magnam altitudinem peruenerunt, & aſcenderunt ad inuidiæ verticem, comprimitur, & coercetur illa, & ſummouetur, à ſplendore rerum ſecundarum illuſtrata.* Et Plutarch. Quò & à Marone alluſum putarim dum in Georg. commemorat magnitudinem rerum geſtarum Auguſti tantam eſſe, vt Inuidia ſuum liuorem

rem in eas non ſit auſura expromere.

Inuidia infelix furias amnemq́ ſeuerum
Cocyti metuet.

Quod haud ſcio, an quiſquam alius adhùc annotauerit. Non eſt illud Pindari, à multis poſterioribus ſcriptoribus vſurpatum, Inuidiam miſeratione meliorem, atq́; optabiliorem eſſe. Verba Pindari ſunt hæc. ἀστῶν δὲ ἀκοᾶ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλιστ᾽ ἐσλοῖς ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις, ἀλλ᾽ ὅμως κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόνος. Μὴ παρίει καλά. Hoc eſt. *Ciuium autem animos occultè grauat inuidia, cum alienas virtutes audiunt. Verumtamen melior miſeratione inuidia eſt; ne prætermitteres præclaras.* Ex quibus expreſſum eſt illud Epigramma Græcũ ὁ φθόνος οἰκτιρμοῦ κατὰ Πίνδαρόν ἐστιν ἀμείνων. Οἱ βασκαινόμενοι λαμπρὸν ἔχουσι βίον. Τοὺς δὲ λίαν ἀτυχεῖς οἰκτείρομεν. ἀλλὰ τίς εἴην; μήτ᾽ ἄγαν εὐδαίμων, μήτ᾽ ἐλεεινὸς ἐγώ. id eſt. *Inuidia ex ſententia Pindari, miſericordia melior eſt. Hi, quibus inuidetur, opiparè, & ſplendidè viuunt. Eorum autem, qui miſeri, & calamitoſi ſunt, miſeremur. at quem me eſſe velim? neque valde fortunatum, neque valdè miſerabilem.* Cum quibus congruunt illa Plautina in Trucul.

Mauelim mihi inimicos inuidere quam mè inimicis meis.
Nam inuidere alij benè eſſe, tibi malè eſſe miſeria eſt.

Qui inuident, egent: quibus inuidetur, rem habent. Ariſtoteles diſtinguens τὸ νεμεσᾶν indignari ὑπὸ τοῦ φθονεῖν inuidere, lib. 2. de moribus ad Nicomachum inquit, νεμεσητικὸς λυπεῖται ἐπὶ τοῖς ἀναξίως εὐπραττοῦσι φθονερὸς περβάλλων τοῦτον ἐπὶ πᾶσι λυπεῖται hoc eſt. *Indignabundus, ſeu is qui ad indignandum propenſus eſt, dolet eorum rebus ſecundis, qui eis indigni ſunt: Inuidus hunc ſuperans rebus omnium ſecundis contabeſcit.* Idem propemodum ſcribit in Rhetoricis εἰ γὰρ ἐπὶ τὺ νεμεσᾶν λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν, πρῶτον μὲν δῆλον ὅτι οὐχ οἷόν τε ἐπὶ πᾶσιν ἀγαθοῖς νεμεσᾶν, ἀλλ᾽ ἐπὶ πλούτῳ καὶ δυνάμει, etc. ideſt. *Si enim indignari, eſt dolore affici ob eius, qui præter dignitatem, & meritum videtur rem ſuam bene genere, res ſecundas; primum quidem perſpicuum eſt non licere ob omnia bona indignari, ſed ob diuitias, & potentiam, etc. duntaxat.* Ibidem eorum reiicit opinionem Ariſtoteles qui inuidiam aut eandem, aut parum ſanè diuerſam eſſe à nemeſi, quæ tamen longè alia eſt, exiſtimabant. Hoc in errore M. Cicero minimè verſabatur, imò vim vtriuſque nominis quamoptimè callebat. Nam ad Atticum ſcribens libro quinto, inquit. *Vt libet. Sed planè gaudeo, quoniam* τὸ νεμεσᾶν *intereſt* τοῦ φθονεῖν. quem locum malè quidam explicant. Sic enim explicandus eſt. *Vt libet, ſed planè gaudeo.*

Petr. Vict. i Rhet. Arist.

deo. His verbis, Cicero se gaudere dicit propter Aduersarij repulsam, declaratque, se sine culpa hoc facere posse. erat enim ille indignus eo honore, quem petebat, nempè auguratu. quare repulsam illum tulisse meritò potuit gaudere: Hirrium autem intelligit, quondam competitorem suum. De eadem autem re in epistola ad M. Cœlium. Hoc ideo vult Cicero si Auguratum Hirrius Aduersarius meus obtinuisset, ego non immeritò indignatus essem, neque propter meam indignationem, inuidere ei honorem dicendus essem, Hoc declarans ait differre τὸ νεμεσᾶν quod indignari Latinè dicimus, ab eo, quod est, φθονεῖν vt greci dicunt, siue inuidere, vt latini. Hanc autem esse veram illius loci sententiam, nemo puto infitias ibit: nam & eam agnoscunt Victor. Lambinus & alij doctissimi viri. Patet hinc igitur lapsum eorum qui interpretantur Interest idest, vtile est, &c. illud interest, pro differt, est positum, vt Academic. 2. *Qui illa visa, è quibus omnia decreta sunt nata, negant quicquam à falsis interesse*. Plutarchus prætereà Libello περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς supradictis consentanea scribit his verbis latinè factis, *Quibus multò vtiliores sunt affectuum alumni impetus, cùm rationi præstò sunt, & virtu-*

tes adiuuant, vt animi excandescentia fortitudinem acuit, improbitatis odium ad iustitiam valet indignatio ad eorum, qui prætermeritum fortunati sunt, obiurgationem, & monitionem excitat. Hoc autem inuidiæ morbo Plato maximè laborauit, aliorumq; laudes iniquo accepit animo. quemadmodum ex veterum scriptis copiosè probari potest. siquidem inter eum, & Xenophontem tacitæ cuiusdam æmulationis liuorem extitisse Aulus Gellius auctor est lib. 14. Atticar. Noct. cùm nullibi Plato de ipso Xenophonte tanto viro meminerit: eiusdem verò discipulos, sectares loquentes induxerit: quod animi malè affecti, atq; insynceri argumentum præbuit, vt idẽ Gellius dicebat. sed hoc Gellij argumentum tã quam falsum Muretus refellere conatur variar. Lect. lib. 5. cap. 14. qui tamen si animaduertisset de Abderite Democrito, qui Physica exercuit (πενταθλος & ob eam causam dictus) idem etiam factum esse à Platone, sicuti Aristoxenus refert, illa fortè contrà A. Gellij vel, (vt alij volunt) Agelij sententiam, quippe qui in rerum antiquarum veritate perscrutanda, omnium propè scriptorum consensu, fuit diligentissimus, non protulisset. *Nam cùm Plato*, inqui Aristoxenus, *Locos quosdam tractaret, in quibus*

[Handwritten marginal note: nõ est falsũ, nã certè Plato nũq̃ Xenophontis meminit, semel tãtũ Xenophõ Platonis. nõ quia Physica tract[illegible], sed quia alias quoq; disciplinas exercuit, fuit inuidia in utroq;]

bus contrà Democritum sentiebat, prudens tamen ac sciens, nusquam illum citauit; etsi alios ferè Philosophos nominaret: tùm, quod est amplius, idem Plato quæcunq; habere potuit Democriti Comentaria, traditur collegisse, eaq; cum cremari voluisset, ab Amyda, & Clinia viris Pythagoricis prohibitus est, asserentibus, eos Democriti libros non posse omnes extingui, cum apud multos passim exempla eorum seruarentur. Quam rem & Laertius Diogenes ex veterum commentariis recenset. Qui autem inuidus est suam ipse sibi fouet infelicitatem, quādoquidem Horatius.

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Maius tormentum.

Licet enim (dicit Horatius) Agathocles, Phalaris, & Dyonisius Siciliæ Tyranni multa inuenerint atrocissima tormenta ad homines cruciandos, & excarnificandos: nullum tamen est quod crudelius torqueat animum, quàm inuidi hominis contubernalis, & tabifica inuidia. & Plato lib. 9. de legib. *Inuidiam ait esse contubernalem grauem, ac molestā maximè quidem primo loco ei qui inuideat secūdo loco viris optimis, & clarissimis Ciuitatis.* Et Antist. inuidiam præcipuum, & intestinū inuidi, malum esse apertè satis ostendit, qui, vt refert, Laertius Diog. lib. 6. in eiusdē vi-

ta, dicere solitus fuit. *Sicuti erugo ferrum, ità inuidia animum hominis, vbi insita est, consumere.* Et proinde per translationem inuidiam Ærugi-nem vocauere: quasi sit tanquam æris: sic animi Ærugo. Mart. lib. 10. Epig. 33. *Vt tu si viridi tinctos ærugine versus.* Idest furore, & male dica inuidia. Horatius lib. primo Sat. 4.

-- *hæc est Aerugo mera.*

Eleganter igitur Isocrates putauit inter maximos cruciatus inuidiam annumerari deberi, qđ ipsa habenti maximum supplicium sit, vt facilè intelligi posit abundè pænas lusisse, qui alteri inuidet. Propterea, & Quint. Curt. *Inuidos homines nil aliud esse scribit, quam ipsorum tormenta.* Est enim inuidia ex proximi commodo proueniens dolor, originem ex superbia ducens, sicuti interpretatur Augustinus. Cuiusmodi etiam sint inuidiæ faces, graphice exprimit Ouidius in illis verbis.

Pallor in ore sedet macies in corpore toto
Nusquam recta acies, liuerit rubigine dentes
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno
Risus abest, nisi quæ visi fecere dolores.

Propterea autem quod veteres existimabant, inuidiam, iis, quibus inuidebatur, esse damnosam, perniciosam, ac pestiferam, & ab ea iccir-

co Fascinum vt plurimum oriri (solo enim obtutu, & aspetu inuido, atq; maligno inuidos hominibus, & maximè pueris, nocuisse vsu didicerant, natura namque ingenitum est, vt quæ vnicuique maximè displicent, ea è mediotollere procuret,) Iccircò eam multis modis placare, atque extinguere studebant. Tribus autem potissimùm remediis ad hoc fuisse vsos veteres illos comperio quamquam, & de aliis sim dicturus. Primùm quidem Ridiculo aliquo spectatoribus obiecto. Deinde Fortunæ secundę dissimulatione, & deniq; Casu aliquo aduerso sponte suscepto atque contracto. Quorum libet mihi subiicere ex bonis autoribus exempla. Ridiculi exemplum est, mentula, seù similis res aliqua turpicula, quam de collo puerorum ad Fascinum, & fascinantium inuidiam repellendam suspendebant: hoc est quod apud Varonem legitur inlibro de ling. lat. 6. in his verbis, *Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, nè quid obsit bonæ scæuæ causa.* Quocirca, & Fascinum aliquando (liceat hacuti licentia) mentulam significare inuenias vt carmine obsceno apud Horatium.

Minus ve languet Fascinum.

Vbi Porphyrio siue quis alius fuerit qui illa in

Ho-

Horatium commentaria ediderit: *Fascinum pro virili parte posuit, quoniam fascinandis rebus hæc membri deformitas apponi solet.* Nam obiecta spectatorum oculis, risu commoto, effascinantium inuidiam discutit, atque auertit. Hinc etiam in Priapeis:

Prædicaberis fascino pedali.

Pedicabere

Et hæc explicans Cœlius Rod. in Antiq. lect. scribit. *Lectum est apud Varronē in Italiæ compitis liberi patris sacra solita celebrari tanta turpitudinis licentia, vt in eius honorem virilia colerentur pudenda, palam exaltante nequitia, nam liberi patris membrum, per dies festos magna celebritate plostellis per agros prius, mox & in vrbem vectabatur. Lauinij integer mensis libero dicabatur, quibus diebus vnusquisq; spurcißimis abutebatur verbis, donec per forum transueheretur membrum, cui inspectantibus omnib. mater familias honestissimam, coronam necesse erat imponere. Sic Deus is propitiabatur, ad seminum prouentus: sic ab agnis fascinatio aueruncabatur. Vnde opinor turpi membro impositum nomen, vt fascinum ab effectu diceretur.* Atque hæc omnia, vt patet, ex Antiq. lectionum lib. 4. cap. 6. Cœlij Rodigini. Verum & Fascinus Deus erat eius depulsor, cuius rei causa curribus triumphantium subiiciebatur, vt Fascinum in autores

reii-

reiiceret, eosdemque Fascinum recipere, & inuidiam iuberet. *Et Fascinus*, inquit Plinius, *imperatorum quoq; non solùm infantium custos, qui Deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens defendit Medicus inuidiæ, iubetq; eosdem recipere*. Hortos pręterea, & fores contrà inuidentium effascinationes dicare, vt Plinius refert, solebant, & in remedio erant Satyrica signa: etiam Satyrion inuidiam depellebat. Et dignum situ illud in hac mentione: Veteres Ferrarios fabros ante fornaculam solitos ridicularia quæpiam appendere, inuidiæ auertendæ gratia. Nam quæ turpia erant & ridicula ad auertendam illam pestem accommodata credebantur, obtutu, & aspetū inuidentium ex obscænitate, & miraculo turpitudinis auocatis, vt refert Plutarchus. Huiusmodi verò amuleta dicebantur bascania. est autem bascanus qui oculorum acie μαίνει idest pernecat, corrumpitq; visa. Quod apud Cœlium Rhodiginum legimus. Varro quoq; quinto de ling. lib. ea remedia proebra dicta esse docet, seù prohebra à prohibendo: & item Festus: quæ Græci ἀλεξίκακα appellant. Fortunæ secūdæ occultationis exemplum, suppeditabit Catull. carm. ad Lesbiam.

alio respicit

Dein cùm millia multa fecerimus
Conturbabimus illa ne sciamus
Aut nequis malus inuidere poßit.

Hunc inuidię liuorem euitare facilè poterimus, si nec venditemus, nec ambitiosè nimis iacte-mus, minimeq; cæteris nos præferamus. Inter omnia namq; æqualitas maximè conciliat ami-citiam, & tuetur, ostentatio autem vbique inui dosa. In cætu etiam amicorum minimè nobis plausores, & nostrarum buccinatores laudum appareamus. Hoc enim ità odiosum semper existimatum est, vt iactata sit apud Græcos Sententia: Latendum esse dum viuimus, vt felici ter viuamus. Alioqui qui se nimis exponunt, & quasi ad opinionem hominum, ostentant, perpetuos habēt persecutores eos, qui se in eo-dē bonorū genere optant esse q̃ clarissimos. à quo genere inuidiæ diuersum minimè videtur, quod de Hadriano Imperatore legitur, qui nō alia de causa magnos quosdam viros, & Archi-tectos primi nominis perdidisse dicitur, nisi hac vna, quod in his studiis in quibus ipse primum se esse volebat, non poterat pati quempiam præ stare: Quo & ambitu cum Nero laboraret Lu-canum tradunt non tam ab eo fuisse necatum, quod coniurationis fuisset particeps, quā quod

in

in Poeticę ſtudiis multum ſibi nomen vendicaſſet. Et Diogenes Laertius ſcribit Demetrium Phalereum cùm apud Athenienſes clariſſimus eſſet, & ipſum quoq; ab inuidia fuiſſe tentatum. *Verum inquit, cùm apud Athenienſes clariſsimus eſſet, & ipſe tamen ab ea quæ cuncta conſumit inuidia tentatus eſt. Quippe inſidias paſſus à quibuſdam mortis ſententiam abſens excepit. Non tamen eius corpore potiti ſunt: verum ipſius deiicientes imagines, æruginæ ex induſtria faedatas, alias quidam vendiderunt, alias ſummerſerunt, aliasq; in fruſta conciderunt.* Hæc Laertius. Scipionem etiam Africanum ab huiuſce inuidiæ vi ſic vexatum ferũt, vt & vrbẽ relinquere ac ruri degere fuerit coactus. Plutarchus de Adminiſtranda Rep. Poſſem hùc multa huiuſmodi exempla ex Aeliano, Dionyſio Halicarnaſſeo, & aliis non paucis deſumpta circumferre, quę quia doctioribus nota ſunt, pretermitto. Illud vnum dicam, quod ſi cupimus hãc euitare inuidiam, danda eſt opera, quantum in nobis eſt, vt ea bona, quibus illuſtres ſumus, non quidem abſcondamus: hoc enim propè impium eſſet, ſed omni ingenio declinemus, neq; ſuperbè, arroganter, faſtidiosè nos geramus, rebuſque partis intemperantęr abutamur. Sic enim Cicero in Philippicis diſputat Marcum Antonium non eſſe ferendum,

quia maiorem dominatum affectet, quam libera Ciuitas ferre possit, eòq; adducit animos Ciuium, vt M. Antonio tanquam superbo tyranno inuideant. Extinguitur similiter inuidia cũ significamus præstantiam dignitatis, aut fortunæ, non ad nostram sed ad publicam vtilitatem conferri. Sic Cicero significat se eloquentiam expetiisse ad reipublicæ dignitatem, & Ciuium salutem. Illud verò in primis obseruandum ad inuidiam repellendam, quod toties diximus, ne ambitiosè nimis iactemus, venditemusque, & minimè cæteris nos præferamus. Nam & Pater ille Terentianus locupletissimum moribus filij testimonium putauit se attulisse, cum dixit: Nunquam præponens se aliis: ità vt facillimè sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Quin & nobis non paruo erit adiumento ad inuidentium effascinationem depellendam Apellem illum egregium pictorem imitari, qui cùm apud Rhodios Protogenem in modica existimatione haberi animaduertisset, eiusq; opera non adeò præclara existimari intellexisset, tantum abfuit vt ipse ea re lætaretur aut sibi gloriæ quicquam ex alieno opprobrio accedere putauerit, vt palàm profiteretur se magna pecunia Protogenis opera redempturum, quæ deinde

pro ſuis ipſe venditaret. Eoq; actu, & famam, quo facto
& quæſtum Protogeni comparauit. Tantum igitur abeſt, vt alienis vitiis inſultemus, aut virtutes noſtras prædicęmus, vt potius ſi fortè contigerit, vt honorificos de nobis ſermones audiamus, eos, quantùm in nobis eſt, aut propulſare, aut ſupprimere debeamus, tùm vt ambitionis nomen fugiamus, tùm, vt minimè inuidiam prouocemus. Proinde Catullus loco citato.

- *cum milia multa fecerimus*, inquit,
Conturbabimus illa.

Vbi & multum dicit; quia multum non eſt numerus præfinitus. Ea namq; fuit veterum ſuperſtititio, vt finitum numerum obnoxium faſcino crederent. Vnde cum in culleum primam vini vrnam indidiſſent dicebant multa. Hoc enim & ad Faſcinum depellendum faciebant. Notum enim, vt quæ nimium laudabantur, obnoxia faſcino putabant. Vnde Maro.

Aut ſi vltra placitum laudauerit, etc.

Qua de re infrà vberius. nunc inſtituta pergamus.

Exemplum caſus aduerſi extat apud Heredotum de Polycrate in Thalia, cui nihil acciderat, quod nollet, niſi quod annulum, quo de-

le-

lectabatur in mare ſua voluntate de Amaſis cõ ſilio abiecerat, vt Deorum inuidiam (ſic enim Herodotus) extingueret. Cùm autem Faſcinus teneris magis quam puberibus noceret. Vnde Maro.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Facilius enim mali ſenſus, & noxa oculo tranſmittebatur, quem ὀφθαλμὸν βασκανον Plutarchus appellat, cauſamque & ipſe, & Alexander Aphrodiſeus quærunt, Iccircò & cuninam quæ Dea erat, puerorum cunis additam ferunt, vt ab illis Faſcinum arceret, vt Lactantius teſtatur in his verbis. *Et cunina quæ infantes in cunis tuetur, & Faſcinum ſummouet.* Triumphantium mos etiam fuit, præter eum de quo iàm ſupra diximus, vt in Bulla, quam in triumphis præ ſe geſtabant, includerent remedia, quę aduerſus inuidiam pollere credebant. Putabant ſimiliter, qui ter deſpueret in ſinum, Faſcinum poſſe auertere, vt ille apud Theocr.

Ως μὴ βασκανθῶ δὲ, τρίς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.
Ταῦζα γὰρ ἁ γραῖ ἁ με Κοτύτταρις ἐξεδίδαξεν. ideſt

Vt ne autem faſcinari poſſem, ter in ſinum meũ deſpui. Hæc enim me anus Cotyttaris edocuit. Tale ferè illud Perſij: (Ecce auia, aut metuens diuûm matertera cunis Exemit puerum, fron-

tem-

temque, atque vda labella. Infami digito, & lustralibus antè saliuis. Expiat vrentes oculos inhibere perita.) Præterea & Fescenini versus ad hoc fuere reperti, sic, referente festo Pompeio à Fascino dicti, quia Fascinum putantur arcere, veluti malorum ingruentium amuleta, quamquam nonnulli magis probent Nominis morisque originem à Campaniæ oppido Fescenio, vel vt alij malunt Sabinorum trhaxisse vt Fest. etiam ac Seruius deducunt. Hi versus maxima verborum licentia constabant. De quibus sic Horatius.

Fescenina per hunc inuenta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Versum Fesceninum commemorat T. Liuius lib. 7. Annal. Huiusmodi versus Fesceninos Augustum Cæsarem scriptitasse testis est Macrobius. Habebant autem locum, tùm in sponsos, tùm in quosdã alios. Catull. in carmine, quod scriptum est in Nupt. Iuliæ.

Nec diù taceat procax fescenina locutio.

Traxit autem originem hæc stulta veterum opinio, ex eo, quod quæ nimium laudabantur Fascino obnoxia putabant, vt & apud Plinium legimus quorũdam laudatione interire probata, arescere arbores, emori infantes. Scribit enim

lib.

lib. 7. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isygonus, & Nimphyodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores emoriantur infanteis.* Vnde illud Apud Maro.

Aut si vltrà placitum laudarit, Baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Tertullianus de virginibus velandis. *Nam est aliquod etiam apud Ethncios metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum.* Iccircò ab illis à quibus id metuebant addi Præfiscine volebant. Quo verbo omnem inuidiam se amoliri putabant. Valet enim præficisnè, absq; Fascino. Testificantes ea voce, non se fascinandi voluntate, sed laudandi animo sine liuore vllo candidèque se se loqui. Insigne mihi videor apud Charisium huiusce rei exemplum & adscriptu dignissimũ legisse. Ait Charisius lib. 4. Instit. Grammatical. *Præfiscini, Titinius in Setina, Paula mea amabo.* Ecce qui loquitur, Paulam puellam laudare parabat: altera sequitur mox persona quæ id metuit, & præfiscini, metu Fascini addi postulabat ad laudem. *Pol tu ad laudem addito præfiscini, ne puella fascinetur.* Huic quoque sententiæ Hyeronimus Fracastorius in lib. de Antipath. & Sympath. ad stipulari videtur, cùm ità

scri-

ſcribit. *Legimus & familias quaſdam fuiſſe in creta* (ſed in Africa habet Plinij contextus) *quæ laudando faſcinum inferrebant, quod certè vti poſsibile recipiendum eſt. Exiſtente enim natura quorundam (vti dictum eſt) perinde ac venenoſa, & eiaculatis ex oculis eorum ſpiritibus pernitioſis, nihil prohibet non ſolum infantes, ſed & grandiores faſcino effici. Laudando autem maximè, quoniam laus propria lætitiam parit. Lætitia autem, vt diximus, dilatationem tùm cordis, tùm & ſpirituum facit, tùm & totius faciei, & præcipuè oculorum. Vnde aditus quodammodo aperitur veneno, quod à faſcinatore eiaculatur. Quare fortè natum eſt illud, quod præfamur, cùm aliquos laudare volumus, benè prius ominantes, verba noſtra dicimus tibi non noceant: Quin & aliqui ſunt qui dum laudantur faciem auertunt non tantum, vt indicent moleſtam ſibi eſſe laudationem: ſed vt à Faſcino caueant. Iam enim in opinione eſt per laudationem Faſcinum fieri.* Apparet manifeſtò ex his Fracaſtorij verbis, cauſam, ob quam vim Faſcini nimiæ laudes habere credebantur, ſpirituum eſſe dilatationem. Ita enim facilius anima in ſe nocumentum recipit. Quocircà opus fuit, tanquam optimo contrà huiuſmodi venenum amuleto ſpirituum euellere dilatationem, eosque prorſus conſtipare. Quam

ob cauſam Baccaris coronam adinuentam fuiſſe legimus; quam herbam odoriferam eſſe, & conſtrictiuam (vt ità dicam) habere virtutem docet Dioſcorid. lib. 3. cap. 46. Quod item confirmatur ab Atheneo qui, & ipſe eandem huic herbæ virtutem tribuit lib. Dipnoſ. 3. Corona ergò haſce herba contexta, meatus conſtipans, dilatationem prohibet, quæ à nimia laude naſci poſſet. Et hoc modo vim Faſcini impedire & penitus abolere poterat. Hæc ſunt, quæ mihi, præſtantis ingenij vir, de Inuidia, & Faſcino, tecum habere per ętatem licuit, quę quidem, & parui momenti eſſe, tibique notiſſima (licet non in iucunda, vt ſpero) minimè ignoro; Illud nobis ſufficit hæc te, qualia cumque ſunt, æquo libentique animo ſuſcepiſſe, ſpemque noſtram tuis literis eſſe confirmatam.

(.·.)

FINIS.

IN-

INDEX RERVM MAGIS INSIGNIVM,

Quæ in hoc paruo volumine continentur.

A

B

C

D

Epi-

E

F

H

Per-

P

S

T

V

FINIS.

NOMINA AVCTORVM,

Quorum testimoniis vsus est auctor in hoc De Inuid. & Fascino Veter. Libello.

Aelianus.
Alexander Aphrodiseus
Aristoteles
Aristoxenus
Athenæus
Augustinus
Aulus Gellius
Catullus
Cælius Rodiginus
Charisius
Cicero
Diogenes Laertius
Dionysius Halicarnasseus
Dioscorides.
Herodotus
Hesiodus
Horatius
Hieronymus Fracastorius.
Isocrates.
Lactantius.
Lambinus.
Macrobius
Martialis
Muretus.
Ouidius
Persius
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Porphyrio
Quintus Curtius
Salustius
Sextus Pompeius
Terentius.
Tertullianus.
Theocritus.
Titus Liuius.
Varro
Victorius
Virgilius.

FINIS.

33

35

- 39

41

43

45

47

49

51

53

a = 005644068
b = 005644069

K